cedat circulum, ſubtracto circulo, quod reliquum eſt, ſimiliter quæſitum tempus exhibet.

Propoſitio XIII.

Data quacunq; hora diei; Solis aut ſtellæ cujusvis altitudinem inveſtigare.

Primùm altitudo Solis Meridiana habetur, ſubtracta declinatione ejus ab altitudine Aequatoris in Meridionalibus ſignis: Addita in ſeptẽtrionalibus. Extra Meridianum, ut in G, præcedẽtis ſchematis, datur A G *cõplementũ declinationis; daturq́;* AB *cõplementũ elevationis poli, duo videl. latera cũ angulo cõprehenſo* A, *qui eſt ipsũ tẽpus ante vel poſt Meridiẽ in gr. reſolutũ. Itaq; per dogmata triangularia latus tertiũ inveſtigatum oſtendet complementum altitudinis Solis* GK *quæſitæ. Sed pro ſtellis ita res*